



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

5. Tria P. Caroli quinti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

(162)

### S Y M B O L U M 3.

Tria P. seu Tres Patriæ patres,  
Princeps, Pastor, Praeceptor.

**E**st Genitor Princeps æquis qui legibus orbem  
Temperat, est cæli, principiū nquæ soli.  
Filius ad cæli ducendas pascua, Pastor  
Quas mercatus erat sanguine pascet oves.  
Spiritus illabens nostris sua lumina fundit  
Mentibus, ut Doctor quæ facienda docet.

### S Y M B O L U M 4.

Tres scutum Rectoris,

Corporum, animarum, bonorum fortunæ.

**C**orpora mox reddenda solo, subiectaque morbis,  
Qui machaoniâ prævalet arte, regit.  
Pars nostri melior vigili Pastore beatur,  
Jus habet in fluxas Induperator opes.  
Esse Pater dat corporeis; animisque medetur  
Filius; & cumulat Flamen, utrumque bonis.

N. Multoties vocatur Christus in scripturis Pastor, immo Pastorum Princeps 1. Pet. 5. quia vigilansimum Pastorem egit quali oves errantes in humeros tollendo, & ad ovile suum reducendo. Ideoque etiam hac specie

sepiissime depictus cernitur.

### S Y M B O L U M 5.

Tria PPP. Caroli Quinti,

*Id est, Praeceptor, Pastor, Praetor.*

**U**rbibus imperij Rector ter maximus orbis,  
P. tria lustrandis querere suctus erat.

Ecc.

Ecquis prima rudem doceat præcepta juventam,

Quis Præses verbi, Justitiæque pater.

Cuncta Pater [a] paſcit, Gnato qui munia defert

[b] Judicis, & verum Spiritus omne [c] docet.

(a) Matt. 6. & Luc. 12. (b) Joan. 5. (c) Joan. 16.

### S Y M B O L U M 6.

*Trismegistus seu ter maximus.*

[a] **S**is Tri-megiste procul, mentito nomine gaudes,  
Maximus es mystes, maximus atque sophus.  
Maximus ac Regum titulis, ter maximus audis,  
Dissidet a factis gloria tanta tuis.

Vendicet hec trinum tria maxima nomina Numen,

Es minimus, sed ter maxima, sola Trias.

(a) Trismegistus fuit Mercurius ille in Ægypto nepos majoris Mercurij, quem fabulantur  
fuisse filium Nili. Est autem idem, quod, ter maximus. Scilicet Philosophus, Sacerdos,  
Rex maximus. Hic primus a physicis ad Divinorum speculationem dicitur se erexit, &  
de Majestate Dei, a demonum ordine & animarum mutationibus sapientissime primus dis-  
putasse.

N. Cato dicebatur ter optimus ut refert Plin. lib. 7. c. 27. scil. optimus orator, optimus senator, optimus imperator.

Item Carolus magnus dicebatur ter maximus, Videl. eruditio, pietate  
laude bellicâ. Eginhar. in ejus vitâ.

Item Abel, primus & ter maximus tribus est dotibus: sacerdotio, martyrio,  
Virginitate. Geneb. lib. 1. Anno mundi 130.

### S Y M B O L U M 7.

*Triangulus, Trigonos, seu Triquetrum.*

**E**ffigies Monadis Triadisque resulget in arte,  
Mensuræ & numeri quoq; documenta tenet.

An-